
INSIGNIA ACADEMIAE HARVARDIANAE CANTAB: NOV: ANGLIAE
VE RI
TAS
The Gift of
Mary Bryant Brandegee
in Memory of
William Fletcher Weld
HARVARD COLLEGE LIBRARY

ZU DER

ÖFFENTLICHEN PRÜFUNG

SÄMMTLICHER CLASSEN

DES DOMGYMNASIUMS ZU NAUMBURG

AM 6., 7., 8. UND 9. APRIL 1840.

LADET ERGEBENST EIN

DR. FÖRTSCH,
RECTOR.

INHALT:

NAUMBURG A/S.
GEDRUCKT BEI K. A. KLAFFENBACH.
1840.

VALERIUS ANTIAS.

Inter vetustiores rerum Romanarum auctores neque nominatur quisquam tam saepe [1]) a Livio, neque tam graviter reprehenditur, quam Valerius Antias. Aliter iudicasse videntur et minus quidem severe ceteri, quotquot ex veteribus praeter Livium huius scriptoris mentionem fecerunt et quibus annales eius ipsos inspicere licuit, ita ut naturam eorum pernoscere possent fidemque, qua digni essent, Dionysium Halicarn. dico, Plinium, Gellium, alios: imo, quem primo loco posui, Dionysius libr. I. c. 7. Valerium Antiatem in iis historicis enumerat, quos a Romanis ipsis magni aestimatos sibique commendatos esse scribit; Plinium in Nat. Hist., quum discesseris a locis ob nomen adiectum Valerio utique assignandis, permulta alia ex eo sumpsisse, indices librorum singulorum (libr. II. III. XII. XIII. XXI. XXII. XXVIII. XXIX. XXXIII. XXXIV.) testes sunt; Gellius denique duobus quidem locis libr. VI. c. 8. et libr. VII. c. 19. illum non vera memoriae mandasse, ac libr. VI. c. 7. sicut libr. III. c. 8. cum quibusdam discrepare tradit, sed nequaquam ita, ut Livius, in eum invehitur levitatisque eum et quod mendax fuerit accusat. Apud viros doctos aetatis recentioris fere omnes, maxime apud Niebuhrium et Lachmannum (De Fontibus Historiarum T. Livii) Valerius Antias in nullo plane numero et honore est; nec tamen quisquam [2]) ad hoc usque tempus annalium ab eo confectorum reliquias tam accurate tractavit et, quae insuper comparanda erant, tanta diligentia contulit, ut de veritate indicii, quod fecit, dubitare non liceat.

---

[1]) Inde, quod Valerii nomen creberrime apud Livium inveniretur, illum potissimum ab hoc adhibitum fuisse auctorem, nequaquam posse colligi, iam Lachmannus De Fontt. Hist. T. Liv. Comm. II. pg. 24. recte notavit.

[2]) Quae enim A. Krause in libro „Vitae et Fragmenta veterum historicorum Romanorum“ protulit, iis vix cuiquam satisfecerit.

Quae quum ita sint, operae pretium esse duxi inquirere, num omnia, quae Valerio exprobrarentur, vera essent, ac quid ex fragmentis ipsis certo efficeretur et de fide scriptoris et de annalium, quos composuisse fertur, natura et de consilio, quo eos scripsisset. Sed antequam, quae in hac quaestione repperisse mihi videor, exponam, paucis demonstrabo, quis fuerit Valerius ac quando vixerit.

G. I. Vossius de Hist. Lat. libr. I. c. 10., quod sciam, primus Valerio Antiati praenomen Quinti tribuit, eumque secuti sunt fere omnes, nisi quod Schottus ad Praefat. Auct. d. Orig. Gent. Rom. eum vult Publium vocatum. At iam Drakenborchius ad Liv. libr. XXIII. c. 34., qua auctoritate hoc vel illud daretur, non liquere monuit et recte; nullus enim omnino apud antiquos scriptores invenitur locus, unde, quod praenomen Valerius habuerit, appareat; quin ne vestigium quidem ullum exstat, quod persequentes praenomen aliquod [1]) probabili ratione [2]) eruamus. Res igitur, ut de qua certi quidquam proferri nequeat, relinquenda est; iam videamus, quis Valerius Antias fuerit ac quando vixerit. At perpauca sunt, quae scimus; nihil aliud ferme compertum habemus, nisi illum Marii Sullaeque aequalem fuisse. Docemur id verbis Velleii Paterc. libr. II. c. 9.: „Celebre et „Lucilii nomen fuit, qui sub P. Africano Numantino bello eques militaverat. „Quo quidem tempore iuvenis adhuc Jugurtha ac Marius, sub eodem Africano mi-

[1]) Nominatur enim aut simpliciter *Valerius*, ut a Livio libr. 28. c. 46. libr. 29. c. 35. libr. 33. c. 10. libr. 34. c. 10. libr. 39. c. 43. et c. 52., ab Oros. libr. 4. c. 20., ab Auct. d. Orig. G. R. c. 21., a Valerio Prob. de nominib. fragm., ab Joann. Sarisb. Policrat. libr. 8. c. 9. — aut *Antias*, ut a Livio libr. 38. c. 55. libr. 45. c. 43., a Plin. N. H. libr. 3 s. 9. libr. 13. s. 27. libr. 34. s. 8. (cf. Indd. libr. II. III. XII. XIII. XXI. XXII. XXIX. XXXIII. XXXIV), a Plutarch. Num. c. 22. de fort. Rom. c. 10., a Macrob. Saturn. libr. I. c. 4. et c. 13., ab Arnob. adv. Gent. libr. V c. 1., ab Ascon. in Pisonian. (Cic. Scholl. ed. Orell. P. II. pg. 13.) in Cornel. (ibid. pg. 69.), a Gell. libr. VI c. 7., a Censorin. d. d. nat. c. 17., a Priscian. libr. IX c. 10. (T. I pg. 468. Kr.), ab Oros. libr. 5 c. 16. — aut *Valerius Antias*, ut a Livio libr. 4 c. 23. libr. 25 c. 29. libr. 26 c. 49. libr. 30 c. 19. et c. 29. libr. 32 c. 6. libr. 33 c. 30. et c. 36. libr. 34 c. 15. libr. 35 c. 2. libr. 37 c. 48. et c. 60. libr. 38 c. 23. et c. 50. libr. 39 c. 22. et c. 43. libr. 41 c. 27. libr. 42 c. 11. libr. 44 c. 13. libr. 45 c. 40., a Plin. N. H. libr. 2 s. 111. cf. Ind. libr. XXVIII., a Gell. libr. I c. 7. libr. III c. 8. libr. V c. 21. libr. VI c. 8. libr. VII c. 9. et c. 19., a Vell. Paterc. libr. II c. 9., a Plutarch. Rom. c. 13. Flaminin. c. 18., a Charis. libr. II pag. 186. Putsch., ab Oros. libr. 5 c. 3., ab Auct. d. Orig. G. R. c. 19., a Censorin. d. d. n. c. 17., a Dionys. Hal. libr. II c. 13. (*Οὐαλέριος ὁ Ἀντίας*) et libr. I c. 7. (*Οὐαλέριος Ἀντίας*) — aut, ordine inverso, *Antias Valerius*, ut a Livio libr. 3 c. 5. libr. 26 c. 49. libr. 30 c. 3. libr. 36 c. 19. c. 36. c. 38. libr. 39 c. 41. et c. 56. libr. 40 c. 29.

[2]) Valeriis praenomina in usu fuerunt haecce: Caius, Lucius, Marcus, Publius, Quintus. Semel Numerii praenomen invenitur, in tabula Capuana, cf. Pigh. Ann. T. III pg. 499., nec saepius Manii, et hunc unum Manium, qui ita appellatus esse narratur, cf. Zosim. libr. II c. 3., quod primus sacra diis manibus fecisset, a posterioribus fictum suspicatur Niebuhr. H. R. T. I pg. 564. ed. II. Numerii etiam praenomen fortasse corruptum est ex Marco.

„litantes, in iisdem castris didicere, quae postea in contrariis facerent. Historia-„rum auctor iam tum Sisenna erat iuvenis, sed opus belli civilis Sullani post ali-„quot annos ab eo seniore editum est. Vetustior Sisenna fuit Coelius; aequalis „Sisennae Rutilius Claudiusque Quadrigarius et Valerius Antias.“ Et quod in fragmento quodam annalium (ap. Plin. N. H. libr. 34. s. 8.) res memoratur, quae ad a. U. 663. (Varr.) spectat, (L. Crassus enim Orator hoc anno L. Marcio Philippo Sex. Iulio Caesare coss. mortuus est) certe ad hunc usque annum Valerium vixisse adiicimus. Mortemne paulo post obierit, an vita eius porrecta fuerit aliquanto ulterius, prorsus ignoramus; inde, quod fragmenta, quae ad tempora sequentia pertineant, desiderantur, nihil licet concludere. Falsissima est ratio, qua Krausius in libro „Vitae et Fragmenta veterum historicorum Romanorum“ pg. 243. annum reperire studuit, quo Antias natus esset; ponitur ibi aliquid pro vero, quod verum esse ante probandum erat. Scilicet Valerius Antias, quia a. 676. praetor fuisset, natus dicitur anno ferme 640. Valerium autem illo anno praeturam administrasse, Krausius a Lachmanno didicit, cuius aucteritatem temere secutus est. Legimus enim apud Lachm. Comment. I. pg. 37. adnot. 4.: „Nihil igitur obstat, „quin hunc (Valerium Antiatem) praetorem in Sicilia fuisse putemus a. 676.“ Quod unde vir doctus hauserit, me nescire fateor; equidem neque apud scriptores veteres, neque apud Pighium, neque apud alium quemquam rem ullam inveni, qua id comprobaretur. Videtur Lachmannus Valerium Antiatem et Q. Valerium Soranum confudisse; hunc enim praetorem fuisse a. 670. satis constat, Pighiusque Ann. Rom. T. III. pg. 248. de eo ita scribit: „Q. Valerius Q. f. Q. n. Soranus. Pr. Ro-„mae ex urbe capta fugiens in Siciliam, Cn. Carbonem consulem secutus, dum eo „magnae confluerent victarum partium copiae, ibidem cum Carbone consule a Cn. „Pompeio Magno captus et occisus est: ut auctores sunt Plutarchus in Pompeio „(c. 10.) et L. Florus libr. III. c. 21.,“ eumque T. III. pg. 254. ad a. 672. et ibid. pg. 266. ad a. 673. inter praetores provinciarum recenset. Cf. Ellendt. ad Cic. Brut. c. 46. § 169. Sed quacunque re Lachmannus in errorem inductus est, praeturam Valerius, annalium scriptor, nunquam gessit, et omnino ulli muneri eum praefuisse negaverim.

Cognomen Antias fuit; fuerunt, eorumque in numero Niebuhrius quoque cernitur, qui putarent, id datum esse Valerio, quod Antio oriundus fuisset. Et sane saepissime factum est, ut ab oppido, unde aliquis originem ducebat, cognomen sumeretur; paucis commonefiat Valerii illius Sorani, qui, quod Soram Latinorum municipium patriam habebat, Soranus appellatus est: at quum apud Romanos ea

1*

non sola causa fuerit cognominum ex urbibus tractorum, temerarii esset statuere, Valerium Antii urbis civem habendum esse iam propter id unum, quod Antias dictus esset. Quaeramus igitur oportet, num aliud quid proferri queat, unde cuias Valerius fuerit cognoscatur. Sed neque multa sunt, quae huc pertinent, neque ea eiusmodi, quibus vera patria exploretur; sufficiunt tamen, ut opinor, ad demonstrandum, causam illius cognominis aliam fuisse, quam cuius suasores Niebuhrius ceterique exstiterunt. Ex verbis enim, quae prius apud Plinium N. H. Praefat. T. I. pg. 22. ed. Franz. legebantur: „Lucubrationem puto, qui Antias civis erat et voca„batur, Valerius primus asserit: cet.“ quum a Rhenano maximam partem supposita fuerint, nihil efficitur; scripturam germanam, cuius vestigia etiam vett. edd. retinent, iam pridem Harduinus restituit, in eaque ne mentio quidem fit Valerii. Nec a Dionysio Hal. de patria Valerii Antiatis docemur; haud dubie is ab illo simpliciter Οὐαλέριος Ἀντίας dictus est, et forma Ἀντιεύς, quam utroque loco (libr. I. c. 7. et libr. II. c. 13.) cod. Vatic. exhibet, pariter ac scriptura libr. II. c. 13. „Οὐαλέριος ὁ Ἀντίας“ ex manu librarii manavit, qui Valerium Antii natum fuisse sibi persuaserat. Contra Livius libr. 23. c. 34. auctor est, iam belli Punici secundi tempore Valerios cognomen illud habuisse; narratur l. c. L. Valerius Antias quidam [1]) a P. Valerio Flacco iussus esse, legatos Philippi regis atque Hannibalis comprehensos, navibus quinque celerrimis ad id delectis, Romam ad senatum deportare. Quo ex loco ut annalium scriptorem non primum cognominatum Antiatem, ita, quum res a Livio memorata in annum p. U. c. 541 (Varr.) incidat, Valerios Antiates non clientes gentis Valeriae existimandos esse elucet, sed cives Romanos optimo iure. Tum quod apud Livium libr. III. c. 5. legimus: „Antiates mille milites, quia serum auxilium „post proelium venerant, prope cum ignominia dimissi.“ et probabile est, quum in hoc capite Valerii Antiatis mentio facta sit, et haec verba et, quae paulo ante traduntur, portenta ex annalibus Valerianis hausta esse, haud iniuria Lachmannus Comment. I. pg. 37. indicaverit, id, quod Valerius tale aliquid de Antiatibus referre non dubitarit, indicium esse quodammodo, eum ab hoc oppido originem non deduxisse. Accedit postremo, quod Priscianus, libr. V. c. 4. T. I. pg. 181 sq. ed. Kr. scribens: „In as Latina, si sint patriae, communis sunt generis, hic et haec Arpinas, Sufenas, Capenas: quorum ideo extrema syllaba circumflectitur, quia per syncopam ti syllabae, sicut saepe diximus, prolata sunt. — Inveniuntur tamen

[1]) Pighius T. II pg. 176. eum inter quaestores provinciales numerat additque: „Videndum anne hic historias scripserit.“ Quod quominus assentiamur, impedimento sunt et Velleii Paterc. verba supra allata et ipsae annalium reliquiae. Cum Pighio autem Glandorpius in Onom. pg. 870. sensit.

alia quoque propria in formam gentilium prolata, ut Antias historicus, etc.“ cognomen Valerii historici nomen gentile esse omnino pernegavit.

Vetus igitur cognomen gentis Valeriae Antias[1]) fuit, ab Antio antiqua illa Romanorum colonia desumptum; quam vero ob causam tributum sit, ne coniectura quidem licet assequi. Iniudicatum porro oportet relinquamus, patriciaene stirpis an plebeius annalium auctor fuerit; recte autem Lachmannus Comment. I. pg. 37. adn. 4. oblocutus est Niebuhrio, opinanti, illum clientem fuisse Valeriorum[2]). Iam supra ea de re verba feci; omnem dubitationem tollit Suetonius, Rhet. c. 3. docens, L. Otacilium Pilitum, qui aetate minor fuit quam Antias, primum omnium libertinorum scribere historiam orsum esse, nisi ab honestissimo quoque scribi non solitam.

Sed haec hactenus; transeamus ad partem quaestionis multo graviorem, ad opus ipsum, quod a Valerio Antiate confectum est. Nominatur id modo *annales*, ut a Gellio libr. VII. c. 9. et Priscian. libr. VII. c. 13. extr., modo *historia*, ut a Gellio libr. III. c. 8. et libr. VI. c. 7., modo *historiae*, cf. Gell. libr. VII. c. 9.[3]); a Valerio ipso id inscriptum fuisse „Lucubrationem,“ non probabilis Rhenani coniectura fuit ad Plin. N. H. Praefat. In libros certe septuaginta quinque divisum erat; ex LXXV. enim libro Gellius libr. VII. c. 9. verba pauca servavit, et, ne librarii mendum suspiceris, a Prisciano libr. IX. c. 10. librum septuagesimum quartum me-

[1]) Aliis gentibus idem cognomen inditum fuisse, Lachmannus ait Comment. I pg. 37. adn. 4.; sed praeter Furium Antiatem poetam equidem, quem tertium ita appellatum proferam, non habeo, nec vir doctus videtur habuisse. Furium autem dictum esse Antiatem, quia Antii ortus fuisset, Weichert. vult Poett. Latt. Reliqq. pg. 352.; videndum tamen, an P. Furius, qui Livio teste libr. III c. 1. (ann. 287.), quum prior colonia Antium mitteretur, a Q. Fabio Vibulano consule triumvir agro dando cum T. Quinctio et A. Virginio creatus est, causam cognominis praebuerit. — Quod Lachmannus l. c. addit: „Ne pro cognomine ab urbe patria ducto haberetur ii evitabant, qui, ut fortasse „Valerius ipse, non Antiatem dicebant, sed Antiam. Grammaticorum tamen ut Verrii Flacci „auctoritate (cf. et Priscian. libr. V pg. 182. Kr.) illa flexio praevaluit. V. Auct. d. Orig. G. R. „indic. libr.“, vix erit, cui id persuadeatur. Sane apud Auct. d. Orig. G. R. l. c. legimus: „digesta ex auctoribus Verrio Flacco, Antiate (ut quidem idem Verrius maluit dicere, quam Antia) etc.“ at praeterquam quod, quicunque librum de Orig. G. R. conscripsit, is unus huius varietatis auctor est, haud scio an verba modo memorata ita sint interpretanda, ut statuamus, Graecorum accusativum „Ἀντίαν“ cf. Plut. Num. c. 22. et d. Fort. Rom. c. 10. tale aliquid adnotandi materiam dedisse. Livius, qui si non vetustior, certe aequalis Verrii Flacci fuit Valeriique annales ipsos haud dubie ante oculos habuit, Antias, Antiatis flexit, pariterque ceteri. Schroetero ad Auct. d. Orig. G. R. l. c. haec falsa declinandi ratio ex accentu Graeco male apposito (Ἀντιάς pro Ἀντίας) videtur fluxisse. — Denique ratione, qua Auctor libr. d. Orig. G. R. l. c. Valerii Antiatis mentionem facit, suspicio mihi movetur, omnia, quae in illo libro ad Valerium auctorem referuntur, non ex annalibus eius ipsis, sed ex opere quodam Verrii sumpta esse.

[2]) Quo iure Ruperti Tabb. Geneall. pg. 8. Valerios Antiates patriciis familiis adnumeret, me fugit; Lachmannus tamen in sententiam eius discessit.

[3]) Conferantur, quae in libello „De L. Calpurnio Pisone, annalium scriptore. Numb. a. 1836.“ pg. 6. adn. 3. monui.

morari scito. Qui numerus voluminum tam magnus satis manifesto iam indicat, annales Valerii copiosissimos fuisse atque uberrimos; id quod pluribus fragmentis, in quibus res leviores insunt, etiam fit evidentius. Unde initium historiae suae Valerius fecerit, a nullo quidem veterum traditur, nec reliquiae eiusmodi sunt, ut res ad liquidum confessumque deduci possit: tamen, ubi tecum reputaveris, in libro secundo, Plinio N. H. libr. XIII. s. 27., Macrobio Saturn. libr. I. c. 13., Arnobio adv. Gent. libr. 5. c. 1. testibus, Numae regnum narratum fuisse, in libro tertio autem cf. Plin. N. H. libr. XIII. s. 27. iam aliquid scriptum, quod ad annum p. U. c. 573. pertinet ac quod apud Livium libr. 40. c. 29. demum legimus, ita ut his duobus libris res quinque saeculorum et amplius comprehensae fuerint: nonne tibi persuasum erit, libro primo non solum Amulii Numitorisque mentionem factam esse, sed verisimiliter omnes Albanorum reges ex ordine prolatos eorumque historiam, quamquam breviter, expositam, et Valerium narrare exorsum ab ipso Aeneae adventu in Italiam? Haud inepte Antiatis annales cum Cassii Heminae hac in re aliquis aequaverit. Pariter enim hic libro primo res ante Urbem conditam, fabulas illas de Evandro, Aenea, Silviis Albae regibus cf. Auct. d. Orig. G. R. c. 6. et Solin. c. 8. litteris mandavit atque adeo de Homero et Hesiodo verba fecit eorumque aetatem definire studuit cf. Gell. libr. XVII. c. 21.; in altero autem de Romulo et Remo, de porcis triginta (cf. Diomed. libr. I. pg. 379. ed. Putsch.), de Porsena (cf. Non. v. censere), de Urbis excidio ann. 363. (cf. Macrob. libr. I. c. 16.) egit; denique tertio libro iam ad tempora belli Punici secundi eum progressum fuisse, Prisciani verba libr. VII. c. 13. extr. (T. I. pg. 339. Kr.): „Cassius Hemina annalem suum quartum hoc „titulo inscripsit: Bellum Punicum posterior.“ testantur. [1])

Sunt igitur, ut supra dictum, primo Valerii annali res assignandae, quae primordium Romae urbis antecedunt; secundus non modo regum omnium Romanorum historiam cepit, sed verisimiliter proxima etiam liberae civitatis tempora; libro tertio narratio iam ad annum 573. processit. Ex libro duodecimo Gellius libr. VII. c. 9., ut formam „*speponderant*“ apud veteres non inusitatam doceat, haec verba affert: „Tib. Gracchus, qui quaestor C. Mancino in Hispania fuerat, et ceteri, qui pacem „speponderant, —“ et idem libr. VII. c. 9. ex libro quadragesimo quinto rem narrat, quae in annum 644. cf. Pigh. Ann. T. III. pg. 21. incidit. Atqui Tib. Gracchus

---

[1]) Krausius, si Valerii Antiatis annales comparasset accuratiusque examinasset, quid in libro eorum secundo fuisset et quid in tertio, de Cassii Heminae annalibus vix iudicasset pg. 156.: „Sed si quid „video secundus liber, quemadmodum in annalibus Pisonis, Livii, aliorum, incepit ab exactis regibus, „ut fragmenta de Romulo, de porcis triginta, de Numa, de Servio Tullio ceteraque ad primum librum „referenda sint. *An is dixit in altero de Romulo, qui tertio libro scripsit de bello Punico primo?*“

anno 617. quaestor Mancini fuit; cognoscimus igitur, memoriam annorum circiter quadraginta libris IV — XII. et triginta ad summum annorum libris XII — XLV. fuisse colligatam [1]). Simul, ubi animo tenebimus, quae modo demonstrata sunt, respiciemusque id, quod ante dictum, annales Valerii in libros divisos fuisse certe septuaginta quinque eumque Marii Sullaeque temporibus vixisse, patebit primum, libris XLV — LXXV. res annorum triginta tribuendas esse, ac deinde, antiquissima tempora satis breviter succincteque a Valerio fuisse perscripta, multo tamen fusius ac copiosius posteriora, ita ut, qui, quo propius res ad Valerii ipsius aetatem accessissent, eo latius eas expositas arbitretur, a vero vix aberret. Etenim, si quid video,

1) Eo, quod e singulis quibusdam libris res afferuntur, quae quibus annis factae sint certo dicere possumus, plurimis ceteris etiam annalium reliquiis, quae ad quem librum pertinuerint, apud scriptores, qui servarunt, non legimus, locum aliquatenus attribuere licet. Ac primi libri est, quod Auctor libr. d. Orig. G. R. c. 19. tradit; quae tamen apud eundem c. 21. et ap. Gell. libr. VI. c. 7. invenimus, ad alterum librum refero. Huic porro praeter ea, quae Charis. libr. II. pg. 186. ed. Putsch. et Plin. N. H. libr. 13. s. 27. habent, fragmenta danda sunt ap. Plutarch. Rom. c. 13., Dionys. Hal. libr. II. c. 13. Plin. N. H. libr. XIII. s. 27. Macrob. Sat. libr. I. c. 4. et c. 13., Arnob. adv. Gent. libr. V. c. 1. (cf. Plut. Num. c. 15.), Plut. Num. c. 22., Plin. N. H. libr. III. s. 9., Valer. Prob. de nominib. fragm., Plut. de fort. Rom. c. 10., Arnob. adv. G. libr. VI. c. 7. (probabilis enim mihi videtur, quum quod Arnobius l. c. memorat ab annalium scriptoribus narratum esse ex Plin. libr. XXVIII. s. 4. discamus, coniectura Vossii de H. L. libr. I. c. 10. aliorumque, statuentium, pro *Valeriano* scribendum esse *Valerium Antiatem.*) In libro tertio, Plinio N. H. libr. 13. s. 27. teste, res iam fuit, quae ap. Liv. XL. c. 29. demum reperitur ac quae ad annum p. U. c. 573. spectat. Inde apparet, ea, quae apud Censorin. d. d. n. c. 17. (ann. 245.), Ascon. in Pisonian. Cic. Scholl. ed. Orell. et Bait. T. II pg. 13. (a. 260.), Liv. libr. III. c. 5. (a. 290.), Censorin. d. d. n. c. 17. (a. 305.), Liv. libr. IV. c. 23. (a. 320.), Gell. libr. III. c. 8. (a. 476.), Censorin. d. d. n. c. 17. (a. 505.), Plin. N. H. libr. II. s. 111. et Liv. libr. XXV. c. 39. (a. 542.), Gell. libr. VI. c. 8. et Liv. libr. XXVI. c. 49. (a. 544.) Liv. libr. XXVIII. c. 46. (a. 549.), Liv. libr. XXIX. c. 35. (a. 550.), Liv. libr. XXX. c. 3. et c. 19. (a. 551.), Liv. libr. XXX. c. 29. (a. 552.), Liv. libr. XXXII. c. 6. (a. 555.), Liv. libr. XXXIII. c. 10. et Oros. libr. IV c. 20. (a. 557.), Liv. libr. XXXIII c. 30. et c. 36. (a. 558.), Liv. libr. XXXIV. c. 10. et c. 15. (a. 559.), Ascon. in Cornelian. Cic. Scholl. ed. Orell. et Bait. T. II. pg. 69. (a. 560.), Liv. libr. XXXV. c. 2. (a. 561.), Liv. libr. XXXVI. c. 19. (a. 562.) Liv. libr. XXXVI. c. 36. et c. 38. (a. 563.), Liv. libr. XXXVII. c. 48. et c. 60. et libr. XXXVIII. c. 23. (a. 565.), Liv. libr. XXXVIII. c. 50. et c. 55. libr. XXXIX. c. 52. Gell. libr. VII. c. 19. (a. 567.), Liv. libr. XXXIX. c. 22. (a. 568.), Plut. Flaminin. c. 18. Ioann. Sarisb. Policr. libr. VIII. c. 9. Liv. libr. XXXIX. c. 41. et c. 43. (a. 570.), Liv. libr. XXXIX. c. 56. (a. 571.) sunt, partim in secundo, partim in tertio libro fuisse scripta. — Ex libro sexto verba sumpta sunt ap. Priscian. libr. VII. c. 13. extr., et ex libro duodecimo, quod Gellius libr. VII. c. 9. exhibet. Res autem ap. Gell. l. c. facta est anno p. U. c. 617.; sunt igitur, quae ap. Liv. libr. XLI. c. 27. (a. 577.), libr. XLII. c. 11. (a. 582.), libr. XLIV. c. 13. (a. 585.), libr. XLV. c. 40. et c. 43. (a. 587.), Censorin. d. d. n. c. 17. (a. 605.), Oros. libr. V. c. 3. (a. 608.) reperiuntur, libris IV — XII. assignanda. — Ex libro XXII. verba pauca Charisius libr. II. pg. 186. ed. Putsch. servavit, ex libro XXIV. Gellius libr. I. c. 7. Deinde quod Gellius libr. VII. c. 9. ex libro annalium quadragesimo quinto affert, in annum p. U. c. 644. incidit. Iam vero quum fragmentum ap. Oros. libr. V. c. 16. ad annum 649. et fragmentum ap. Plin. N. H. libr. XXXIV. s. 8. ad annum 663. spectet, utrumque ex posterioribus libris sumptum intelligitur. — Denique verba pauca libri LXXIV Priscianus libr. IX c. 10. (T. I. pg. 468. ed. Kr.) et libri LXXV Gellius libr. VII. c. 9. reddunt.

consilium, quo Antias annales suos scripsit, non fuit (id quod nonnulli censuerunt), ut suae gentis splendorem quam maxime amplificaret, nec gratiam a gentilibus inituras res novas finxit inventasve mutavit: permotus est potius, ut annales conficeret, quia sibi persuaserat, res Romanorum nondum ea, qua par esset, diligentia atque abundantia memoriae esse proditas. Quod si verum, causa quoque manifesta est, ob quam in incunabulis potissimum Romae urbis primisque saeculis enarrandis Valerius tam concisus fuerit. Copiosius enim quam pro monumentorum numero ac qualitate ea ab aliis iam tractata erant; summatim igitur tantummodo et breviter Antias haec tempora perstrinxit; cum fontium autem copia ubertas annalium crevit, ita ut, quo largius illi manaverunt, eo ampliores hi fierent et pleniores. Multo aliter haud dubie res sese habuisset, imo res prorsus contraria accidisset, si Valerio immodicum rerum novarum studium vanitasque narrationis iure obiiceretur; an non putas, mentiendo augendoque antiquitatis obscuritatem magis idoneam fuisse, quam tempora, quae ut propiora facilius potuerunt meliusque explorari? Et, ne plura dicam, consilio, quo Antiatem ad annales componendos perductum esse arbitror, fragmenta ipsa conveniunt, quippe ex quibus, quantum ille contenderit ac laborarit accurate narrare et ne minimam quidem rem praetermittere, eluceat.

Iam qualis scriptor Valerius Antias fuerit, ex ipsis annalium fragmentis efficere studebo et demonstrare. Ac primum, ubi quae ap. Auct. libr. d. Orig. G. R. c. 21. inveniuntur comparaveris cum Dionysio Hal. libr. I c. 84.: „Ἕτεροι δὲ οὐδὲν τῶν μυθωδεστέρων ἀξιοῦντες ἱστορικῇ γραφῇ προςήκειν κτλ.“ Antiatem iis adnumerandum esse fateberis, qui colorem mythicum detrahere in fabulisque quid veri esset inquirere conati sunt. Quod idem studium agnoscimus in iis, quae Gellio libr. VI c. 7. auctore Valerius de Acca Larentia prodidit, et, si non fallor, tertium vestigium offertur ap. Auct. libr. d. Orig. G. R. c. 19. Verba enim, quae h. l. legimus: „Quod [regnum] „ut firmissime possideret [Amulius], Numitoris fratris sui filium in venando interimen„dum curavit. Tum etiam Ream Silviam, eius sororem, sacerdotem Vestae fieri „iussit, simulato somnio, quo admonitus ab eadem Dea esset, ut id fieret; quum re „vera ita faciendum sibi existimaret, periculosum ducens, ne quis ex ea nasceretur, „qui avitas persequeretur iniurias, ut scribit Valerius Antias libro primo. At vero „Marcus Octavius et Licinius Macer tradunt, Amulium patruum Reae sacerdotis, „amore eius captum, nubilo coelo obscuroque aëre, quum primum illucescere coepis„set, in usum sacrorum aquam petenti insidiatum, in luco Martis compressisse eam: „tum exactis mensibus geminos editos: etc.“ mutilata esse censeo ac miror, qui factum sit, ut mendum ad hoc usque tempus interpretes fugeret. Quid enim? qua

alia ratione verba „At vero Marcus Octavius etc.“ antecedentibus recte adiici potuerunt, nisi ita, ut res iis significaretur diversa ab ea, quae ante memorata erat, quin ei prorsus opposita et contraria? Quod quum h. l. non fiat, nec tamen usquam ab Auctore libr. d. Orig. G. R. aliter, atque dixi, hae voculae „At vero“ usurpatae sint, suspicor, scripturam, quam lib. mscr. et edd. exhibent, non integram esse ac plura inter verba „qui avitas persequeretur iniurias“ et „ut scribit Valerius Antias“ intercidisse.[1]) Cuiusmodi autem fuerint, quae desiderantur, ex Dionysio Hal. libr. I. c. 77. coniicere licet, ubi scriptum invenitur: *Τετάρτῳ δ' ὕστερον ἔτει τὴν Ἰλίαν ἐλθοῦσαν εἰς ἱερὸν ἄλσος Ἄρεος, ὕδατος ἁγνοῦ κομιδῆς ἕνεκα, ᾧ πρὸς τὰς θυσίας ἔμελλε χρῆσθαι, βιάζεταί τις ἐν τῷ τεμένει. τοῦτον δέ τινες μὲν ἀποφαίνουσι τῶν μνηστήρων ἕνα γενέσθαι τῆς κόρης, ἐρῶντα τῆς παιδίσκης· οἱ δὲ αὐτὸν, τὸν Ἀμούλιον, οὐκ ἐπιθυμίας μᾶλλον ἢ ἐπιβουλῆς ἕνεκα, φραξάμενόν τε ὅπλοις οἷς ἐκπληκτικώτατος ὀφθήσεσθαι ἔμελλε, καὶ τὸ τῆς ὄψεως γνώριμον εἰς ἀσαφὲς ὡς μάλιστα ἠδύνατο καθιστάντα· οἱ δὲ πλεῖστοι μυθολογοῦσι τοῦ δαίμονος εἴδωλον, οὗ τὸ χωρίον ἦν, πολλὰ καὶ ἄλλα τῷ πάθει δαιμόνια ἔργα, ἡλίου τε ἀφανισμὸν, καὶ ζόφον ἐν οὐρανῷ κατασχόντος· ὄψιν δὲ, ἣν καὶ τὸ εἴδωλον εἶχε, θαυμασιωτέραν μακρῷ ἢ κατὰ μέγεθος καὶ κάλλος ἀνθρώπων.* Haud dubie enim pariter, ac Dionysius, Auctor libr. d. Orig. G. R. tres diversas de ratione, qua Rea vitiata esset, opiniones protulerat [2]), Valerii, tum M. Octavii Liciniique Macri, postremo (cf. c. 20. init.) Fabii Pictoris et Vennonii; ac quum verbis Dionysii „*οἱ δὲ αὐτὸν τὸν Ἀμούλιον — καθιστάντα*“ congruant, quae ab Auctore libr. d. Orig. G. R. l. c. Licinio Octavioque, et verbis „*οἱ δὲ πλεῖστοι μυθολογοῦσι κτλ.*“, quae Fabio et Vennonio tribuuntur, non haesito statuere, Valerii narrationem reperiri in iis, quae primo loco Dionysius posuit, ita ut Antiatem tradidisse putem, Ream a proco quodam, quos plures puella habuisset, in Martis luco stupratam esse.

Sed quamquam, ut modo vidimus, Valerius colorem mythicum hic et illic detraxit, tamen non ubique id fecit, neque annales eiusmodi fuerunt, ut rebus mirabilibus fabulosisque locus omnino non fuisset datus. Docemur id primum fragmento ap. Arnob. adv. Gent. libr. V. c. 1. (cf. Plut. Num. c. 15. Ovid. Fast. libr. III. v. 339 sqq.), ubi, quo pacto Numa procurandi fulminis scientiam sibi pararit, exponitur; dein ad testimonium vocari potest, quod Plutarchus De fort. Rom. c. 10. de flamma Servii dormientis caput amplexa ex Valerio refert; idem postremo apparet e Plin. N.

[1]) Similem lacunam interpretes iam pridem in cap. 3. observarunt.

[2]) Perinde, atque hic „ut scribit Valerius Antias libro primo. At vero Marcus Octavius et Licinius Macer tradunt — nutriendos. At vero Fabius Pictor — evasuros.“, c. 12. tres diversae narrationes afferuntur: „ut scribit Marcus Octavius libro primo. At vero Domitius — quingenta. At Cato in Origine etc.“

H. libr. II. s. 111: „Trasimenum lacum arsisse totum: Servio Tullio dormienti „in pueritia ex capite flammam emicuisse: L. Marcio in Hispania interemptis Sci„pionibus concionanti et milites ad ultionem exhortanti arsisse simili modo, Valerius „Antias narrat.“ [1]) Quid igitur faciendum? num credibile est, Antiatem inconsulte ac temere haec miracula fabulasque integra repetiisse, illa immutasse? Minime vero; et tamen difficillimum, quum tam paucae annalium reliquiae ad nos pervenerint, proponere aliquid, quod non displiceat. At audendum; et, ne multus sim, eas fabulas potissimum despectas esse et repudiatas censeo, quae annales maximos ceteraque historica monumenta aetate superarunt ac quae fama tantummodo posteritati sunt propagatae. Nec Valerio soli vitio vertendum est, quod hac in re sibi ipse non constiterit; omnes fere, quos a fabulis haud raro recessisse et, quae fide digniora essent, litteris mandare studuisse scimus, idem in se admiserunt. [2])

Eo autem, quod negavimus, Antiatem ausum esse eas fabulas atque ea miracula reiicere, quae auctoritatem quandam sive annalium maximorum sive alius cuiuscunque monumenti historici prae se tulissent, viam ad gravissimam totius quaestionis partem nobis aperuimus, iam exploraturi, qua fide Valerii annales digni et num omnia vera essent, quae huic scriptori Livius eumque secuti homines docti recentioris aetatis exprobrarent. Et a Livio quidem Valerius primum vituperatur, quod in inveniendis et eligendis rerum monumentis, quorum testimonio uteretur, parum diligentem se praestiterit, cf. libr. 39. c. 43: „Valerius Antias, ut qui nec Catonis orationem „legisset et fabulae tantum sine auctore editae credidisset, etc.“ et libr. 39. c. 52: „Antiatem auctorem refellit tribunus plebis M. Naevius, adversus quem oratio in„scripta P. Africani est. Hic Naevius in magistratuum libris est tribunus plebis, „P. Claudio, L. Porcio consulibus: sed iniit tribunatum, Ap. Claudio, M. Sempro„nio consulibus, etc.“ His duobus locis, quorum uno orationem quandam Catonis, quae litteris consignata exstitisset, a Valerio non lectam, altero aut orationem P. Scipionis Africani, in Naevium trib. pl. habitam, prorsus derelictam, aut libros magistratuum non inspectos esse Livius scribit, adiungere libet tertium, ubi pariter Antiati, quamquam alia, negligentia obiicitur, libr. 45. c. 40: „Summam omnis captivi „auri argentique translati sestertium millies ducenties fuisse, Valerius Antias tradit:

[1]) Totius orationis ap. Plin. l. c. compositio significat, non solum verba „L. Marcio — arsisse simili modo.“, sed et antecedentia „Trasimenum lacum — emicuisse.“ ad Valerium auctorem esse referenda; et quod Plinius adiecit „in pueritia“, quum contra Plutarchus De fort. Rom. c. 10. Servio Tullio viro, Gegania uxore mortua, illud miraculum accidisse ex Valerii annalibus tradat, non magni facio; Plinius ex memoria exponens facile potuit errare.

[2]) Aliquanto iniquius de Antiate iudicium ipse feci in libello „De L. Pisone, annalium scriptore.“ pg. 10.

„quae haud dubie maior aliquanto summa ex numero plaustrorum ponderibusque auri, „argenti, generatim ab ipso scriptis, efficitur." — Tum Livius Antiatem reprehendit eo nomine, quod in numeris augendis intemperantior fuerit, cf. libr. 26. c. 49: „Si Va„lerium Antiatem [sequar], maiorum scorpionum sex millia, minorum tredecim: adeo „nullus mentiendi modus est." libr. 33. c. 10: „Si Valerio quis credat, omnium „rerum immodice numerum augenti, quadraginta millia hostium eo die sunt caesa; „capta, ubi modestius mendacium est, quinque millia septingenti, signa militaria „ducenta unum et quadraginta." libr. 34. c. 15: „Valerius Antias supra quadraginta „millia hostium caesa eo die scribit. Cato ipse, haud sane detrectator laudum sua„rum, multos caesos ait; numerum non adscribit." libr. 36. c. 19: „Quid si Vale„rio Antiati credamus, sexaginta millia militum fuisse in regio exercitu scribenti, „quadraginta inde millia cecidisse, supra quinque millia capta cum signis militaribus „ducentis triginta." libr. 36. c. 38: „Duodetriginta millia hostium caesa, Antias „Valerius scribit; capta tria millia et quadringentos; signa militaria centum viginti „quatuor; equos mille ducentos triginta; carpenta ducenta quadraginta septem: ex „victoribus mille quadringentos octoginta quatuor cecidisse. Ubi ut in numero scri„ptori parum fidei sit, (quia in augendo eo non alius intemperantior est) magnam vi„ctoriam fuisse adparet, etc." libr. 38. c. 23: „Valerius Antias, qui magis immo„dicus in numero augendo esse solet, non plus decem millia etc." libr. 38. c. 55: „Has ego summas auri et argenti relatas apud Antiatem inveni, in L. Scipione malim „equidem librarii mendum, quam mendacium scriptoris, esse in summa auri atque „argenti." libr. 39. c. 41: „Si Antiati Valerio credere libet, ad duo hominum „millia damnavit." liber 45. c. 43: „Sestertium ducenties ex ea praeda redactum „esse, auctor est Antias, praeter aurum argentumque, quod in aerarium sit latum: „quod quia unde redigi potuerit, non adparebat, auctorem pro re posui." — Postremo Livius id saepe Valerio crimini dedit, quod res ab eo narrarentur, quas aut apud neminem praeterea aut multo aliter relatas invenisset, cf. libr. 3. c. 5: „Dif„ficile ad fidem est in tam antiqua re, quot pugnaverint ceciderintve, exacto con„firmare numero. audet tamen Antias Valerius concipere summas." libr. 30. c. 3: „Haec per nuncios magis equidem acta crediderim, (et ita pars maior auctores sunt) „quam ipsum Syphacem, ut Antias Valerius prodit, in castra Romana ad conloquium „venisse." libr. 30. c. 19: „Obscura eius pugnae fama est. Valerius Antias quin„que millia hostium caesa ait. quae tanta res est, ut aut impudenter ficta sit, aut „neglegenter praetermissa." libr. 32. c. 6: „Valerius Antias intrasse saltum Vil„lium tradit, — fusum fugatumque regem, castris exutum: duodecim millia hostium

2*

„eo proelio caesa, capta duo millia et ducentos, et signa militaria centum triginta „duo, equos ducentos triginta. aedem etiam Iovi in eo proelio votam, si res prospere „gesta esset. Ceteri Graeci Latinique auctores, quorum quidem ego legi annales „nihil memorabile a Villio actum, integrumque bellum insequentem consulem accepisse „tradunt.“ libr. 37. c. 48: „M. Fulvio Nobiliore et Cn. Manlio Vulsone consulibus, „Valerius Antias auctor est, rumorem celebrem Romae fuisse, — Rumoris huius „quia neminem alium auctorem habeo, neque adfirmata res mea opinione sit, nec „pro vana praetermissa.“ libr. 40. c. 29: „Adiicit Antias Valerius, Pythagoricos „fuisse, vulgatae opinioni, qua creditur, Pythagorae auditorem fuisse Numam, men„dacio probabili adcommodata fide.“ libr. 42. c. 11: „Attalum, regis Eumenis „fratrem, legatum venisse Romam, Valerius Antias his consulibus scribit, ad defe„renda de Perseo crimina, indicandosque adparatus belli. Plurium annales, et qui„bus credidisse malis, ipsum Eumenem venisse tradunt.“ libr. 44. c. 13: „De Eu„mene rege longe diversa tradunt. Si Valerio Antiati credas, etc.“ cf. libr. 26. c. 49. libr. 28. c. 46. libr. 30. c. 29. libr. 33. c. 30. libr. 35. c. 2. libr. 37. c. 60. libr. 39. c. 22. et c. 52.

Haec sunt, quae Livius Valerio vitio vertit et ob quae annalibus eius fidem paene omnino derogavit; in iis tamen homines docti recentioris aetatis, et maxime quidem Niebuhrius ac Lachmannus, ut acquiescerent, tantum abfuit, ut, quaecunque rerum gestarum scriptoris auctoritatem imminuere possunt, fere omnia in Antiatem transferrent eique exprobrarent. Sic Lachmannus, quocum maximam partem Niebuhrius consentit, Comment. I. pg. 37 sq. Valerium, quod „gentilium suorum (cf. pg. 93.) et Romanorum nimio studio rerum narratarum amplificator, novas et mirabiles res (cf. Comment. II. pg. 26.) proferendi cupidus, Graecularum fabularum et etymologiarum sectator“ fuerit, incusat censetque Comment. II. pg. 25. aliis etiam locis ea, quae Livius nomine non apposito ex Valerii annalibus sumpserit, ex ipsis numeris facile posse agnosci. Addit porro ibidem: „Praeterea malevolentia quoque et magnis „hominibus detrahendi studium in hoc scriptore fuisse videtur, quem hac sola re Dioni „Cassio similem fuisse putaverim. Apparet e loco, qui apud Gellium legitur libr. „VI, 8. Cum enim omnes alii scriptores de reddita Allucio sponsa tradidissent, et „hoc egregium summae temperantiae exemplum a Scipione editum amplissimis lau„dibus celebrassent, solus ille puellam a Scipione redditam negavit, sed retentam „atque in deliciis amoribusque ab eo usurpatam. Aliud eiusdem ingenii indicium est „apud Liv. 44, 13.“

Iam habes, quae potissimum et quanta Valerius deliquisse fertur; quorum dummodo maior pars vera esset, infitias ire non posses, illum scriptorem prorsus indignum esse, cui fidem adiungeremus. At (ut quemadmodum sentio, loquar) multis de causis et Livii indicium mihi suspectum est et, quae insuper ab aliis obiectantur, pleraque falsa, alia nimis aucta mihi videntur. Etenim quo iure, quaeso, Niebuhrius et Lachmannus nimium gentilium suorum Romanorumque studium Valerio imputavere? Sane me non fugit, in causis historiae Romanae adeo corruptae et depravatae non levissimam fuisse eam, quod plures rerum gestarum scriptores, ut splendorem suae gentis adaugerent, multa, vere aliis gentibus tribuenda, in suos ipsorum maiores transtulerunt, quin ne commenticia quidem scribere veriti sunt: tamen antequam certa testimonia et indicia haud dubia prolata sint, nisi qui opinionem praeiudicatam mente iam concepit, nemo, puto, sibi ipse concesserit, ut aliquem illo nomine arguat. Nihilominus ab utroque viro docto id factum est; uterque ab Antiate in gentis suae gratiam dicta mendacia non suspicatur, sed pro explorato ponit; et hoc eo magis mirum, quod neuter ne uno quidem verbo sententiam suam voluit comprobare. Longum est minimeque huius loci percensere, quae omnia ab Antiate, ut Valeriorum nomen maius redderet, excogitata esse Niebuhrius et Lachmannus sibi persuaserunt; permulta sunt, nec tamen ullum apud scriptores veteres reperitur vestigium certum, unde Antiatem gentilium suorum gloriam de industria amplificasse intelligamus. Nec ei maius, quam ceteris plerisque Romanis, qui res populi sui litteris mandaverunt, Romanorum studium crimini dare licet; imo plures inveniuntur loci, ubi laudes Romanorum ab eo non ita, ut ab aliis, exaggeratas esse non sit, quod multis demonstremus, cf. Liv. libr. 25. c. 39. libr. 38. c. 23. libr. 39. c. 56. Oros. libr. V. c. 3. et c. 16.[1]) Longe tamen abest, ut quidquam a Valerio scriptum esse omnino denegem, quo Romanorum gloria nimis elata esset,

---

[1]) Livius libr. 25. c. 39. secutus, ut videtur, Pisonem et Claudium, qui annales Acilianos ex Graeco in Latinum sermonem vertit, Scipionibus interfectis bina Carthaginiensium castra in Hispania ab Romanis ductu L. Marcii capta scripsit, Valerius contra una tantummodo expugnata esse. — Quae libr. 38. c. 23. leguntur, Livius ex Polybio (cf. fragmm. libr. XXII) sumpsit, nec aliter Antiatem narrasse verisimile est; Claudius autem Quadrigarius bis in Olympo monte pugnatum esse auctor fuit et multo maiorem etiam caesorum numerum edidit. — Libr. 39. c. 56. verbis „legatis ad eam rem ad Prusiam missis“ docemur, Valerium non inter eos esse recensendum, qui Romanorum honori prospicientes (cf. Lachm. Comm. II pg. 57.) Flamininum a Senatu iussum ad mortem compulisse Hannibalem negaverunt. — Ab Orosio libr. V. c. 3. Claudius, Valerius, Polybius appellantur; Valerius multo minus res auxit, quam Quadrigarius, et propius haud dubie ad Polybium accessit. — Denique quam immensus caesorum Romanorum numerus est ap. Oros. libr. V. c. 16: „Duo filii consulis caesi, octoginta milia „Romanorum sociorumque ea tempestate trucidata, quadraginta milia calonum atque lixarum inter„fecta Antias scribit.“

neque ignoro, haud pauca apud Livium legi, ex quibus id eluceat: nihil aliud potius in animo habui contendere, quam studium illud Antiati prae ceteris proprium non fuisse. Sed haec hactenus; reprehenditur porro Antias a Lachmanno, quod „novas et mirabiles res proferendi cupidus Graecularumque fabularum et etymologiarum sectator" fuerit. Sane posterioris aetatis atque, ut videtur, (nihil amplius concesserim) Graecorum commentum fuit, quod ap. Auct. libr. d. Orig. G. R. c. 21. est, „Romulum „et Remum, quum pueri liberalis disciplinae capaces facti essent, Gabiis Graeca„rum Latinarumque litterarum ediscendarum gratia commoratos, Numitore avo clam „omnia subministrante." et duo nomina cf. Auct. libr. d. Orig. G. R. l. c.: „Romu„lum autem a virium magnitudine appellatum; nam Graeca lingua ῥώμην virtutem „dici certum est." (cf. Paul. Diac. Exc. ex libr. Pomp. Fest. l. XVI. pg. 135. ed. Lind.) et Valer. Prob. D. Nom. rat.: „Ancum praenomen Varro a Sabinis transla„tum putat. Valerius autem scribit, quod cubitum vitiosum habuerit, qui Graece „vocatur ἀγκών." (cf. Paul. Diac. Exc. etc. pg. 17. ed. Lind.) ex sermone Graeco ducta sunt: sed quum praeterea in eam rem nihil afferri possit, videndum, ne modum excedamus, statuentes, Valerium Graecorum fabulas et etymologias *sectatum* esse. Id tamen in controversiam vocari nequit, Graecis litteris Antiatem fuisse eruditum. De rebus mirabilibus iam supra dictum; quae nova autem Valerius scripserit ac qui factum sit, ut in iis colligendis operam consumeret, mox videbimus. Postremo Lachmannus, malevolentiam quandam et magnis hominibus detrahendi studium in Valerio fuisse demonstraturus, ad fragmenta ap. Gell. libr. VI. c. 8. [1]) et ap. Liv. libr. 44. c. 13. nos mittit. Sed locus Livianus [2]) nequaquam aptus est, ut opinor, ad comprobandum; P. et L. Scipionibus tamen Antiatem pariter, atque alios [3]),

---

[1]) P. Scipionem adolescentem caste integreque non vixisse, ipse Polybius libr. X c. 19. significat scribens, puellam illam, quae deinde Allucio reddita est, ad Scipionem a iuvenibus quibusdam Romanis haud ignorantibus „φιλογύνην ὄντα τὸν Πόπλιον" perductam esse. Iam vero si mores Africani tales erant, haud dubie, praesertim quum is simultates exerceret cum plurimis invidiaque multorum premeretur, iam inter aequales rumor ferebatur vivendi rationi, qua prius ille usus erat, magis consentaneus. Sua igitur Valerius ap. Gell. l. c. non finxit, sed rumorem nec eum recentem secutus est. Vix cuiquam placebit, quod Gellius l. c. suspicatur, Valerium versibus nonnullis a Cn. Naevio poeta in Scipionem scriptis motum narrasse, „eam puellam captivam a Scipione retentam atque in deliciis amoribusque usurpatam."

[2]) Quae ibi ex Valerii annalibus de Eumene rege narrantur, minime contemnenda sunt.

[3]) Fabium Pictorem Catonemque Scipionibus non favisse satis constat, et Coelius Antipater cf. Liv. libr. 21 c. 46. extr. P. Scipionis consulis pugna ad Ticinum amnem servati decus non ad filium, illum P. Scipionem Africanum, („quod et plures tradidere auctores, et fama obtinuit.") sed ad servum natione Ligurem delegavit.

quodammodo [1]) obtrectasse, non solum quae apud Gell. l. c. legimus testantur, verum eiusdem etiam animi indicia sunt ap. Liv. libr. 26. c. 49: „Arinem praefuisse Punico „praesidio *deditumque* Romanis." et libr. 39. c. 22: „et quorum ludorum post „bellum, in quo votos diceret, mentionem non fecisset, de iis post legationem demum „in senatu actum." De Scipionum igitur existimatione videtur non nihil derogatum; alios similiter laesos esse, minime liquet.

Partim reiectis, partim extenuatis iis, quae homines docti recentioris aetatis addiderunt, redeamus oportet ad Livium ponderemusque causas et rationes, ob quas tam graviter in Valerium invectus est quibusque impulsus auctoritatem eius minuere studuit. Exprobravit autem, ut ante vidimus, Livius libr. 39. c. 43. Antiati, quod nec Catonis orationem in L. Quinctium Flamininum legisset, et fabulae tantum sine auctore editae credidisset; multo aliter enim, atque ab hoc, a Catone ipso in illa oratione rem exponi, propter quam L. Quinctius senatu motus esset. At si Valerius fabulae credidit, in eadem culpa Cicero cf. D. Senect. c. 12. versatus est, quippe qui prorsus cum illo consentiat [2]), idque eo magis mirum, quum sciamus, hunc (cf. Brut. c. 17. §. 65.) Catonis orationes et libentissime legisse et diligenter indagasse earumque amplius centum quinquaginta conquisivisse. Valerium porro sequuntur Seneca Rhet. Controv. IV. 25., Aurelius Victor c. 47. Valerius Maximus libr. II. c. 9, 3.; Plutarchus denique in Cat. c. 17. et in Flamin. c. 18., quamquam non mulierem, sed puerum scortum fuisse scribit, tamen id Antiati concedit, unum ex miseris illis, quos capitis damnatos L. Quinctius in vinculis habuisset, attractum et securi percussum esse. Ergo Livium, quamquam praedicantem, ex ipsa Catonis oratione se sua sumpsisse, auctorem nemini probatum esse reperimus: quae vero causa fuerit, ut auctoritas eius ita contemneretur, vix est, quod plane expedias. Maxime tamen, ut opinor, Livio obfuit, quod Cicero, quem in Catonis scriptis probe versatum omnes perspexissent, aliter narravit, et profecto testimonium eius, etiamsi suscipiamus, illam orationem ipsam casu secundo in manus

---

[1]) Contra Antias cf. Liv. libr. 30. c. 29. Hannibalem a Scipione non tantum ad Zamam superatum esse auctor fuit, sed plures ab hoc de illo victorias in Africa reportatas. Et fortasse ea in re cf. Lachm. Comm. II pg. 51. (U. Beckeri libellum „Ueber Livius XXX c. 25. und 29., oder Entwickelung der Begebenheiten, welche zwischen Hannibals Rückkehr nach Africa und der Schlacht bei Zama liegen." ut inspicerem facultas mihi non data est) Valerii narratio Livianae est anteponenda.

[2]) Ne forte quis neget, a Cicerone h. l., cui obsecuturus L. Quinctius capitis damnatum occiderit, aperte significari, quoniam vocabulum ab eo usurpatum ambiguum sit, breviter moneo, legem satis certam de usu huius vocabuli apud Ciceronem proponi posse, qua omnis dubitatio tollatur. Eam tamen legem ipsam adscribere et pluribus comprobare a scriptione scholastica alienum videbatur esse.

Livii venisse, tanti momenti est, ut Antiatem fabulae sine auctore editae credidisse statuere nequaquam liceat [1]). Haud dubie plurimi iam ante Valerium (cf. Plut. Cat. c. 17., „οἱ μὲν οὖν πλεῖστοι ταῦτα ἱστοροῦσι κτλ.“) ita tradiderant, idque aliqua ex parte Livius ipse significare videtur verbis „Facinus, sive eo modo, quo censor ob- „iecit, sive, ut Valerius tradit, commissum est, etc.,“ quae vix adiecisset, nisi *plurium* annalium consensus dubitationem ei movisset. Quod Antias solus nominatur, Livius iusto iniquiorem se praebet Valeriique reprehendendi nimis cupidum.

Porro Livius libr. 39. c. 51. Valerium, qui Scipionem Africanum (cf. Gell. libr. VII. c. 19. cum Liv. libr. 38. c. 50 sqq.) anno p. U. c. 567. mortuum esse scripserat et quem prius cf. libr. 38. c. 53. ipse secutus erat, oratione quadam Africani (in Naevium trib. pl. habita cf. Liv. libr. 38. c. 56.) librisque magistratuum refellit. Id tamen quam inconsiderate egerit, vix est, quod demonstrem. Quid enim? quamquam ipse libr. 38. c. 56. „sed orationes quoque, si modo ipsorum sunt, „quae feruntur, P. Scipionis et Ti. Gracchi abhorrent inter se.“ fidem orationis illius addubitavit, (cf. Gell. libr. IV. c. 18: „Fertur etiam oratio, quae vi- „detur habita eo die a Scipione, et, qui dicunt, *eam non veram* esse, non eunt „inficias etc.“) tamen postea, scilicet rerum ante a se scriptarum oblitus, hanc solam ob orationem (c. 56: „Index orationis P. Scipionis nomen M. Naevii tribuni „plebis habet: ipsa oratio sine nomine est accusatoris, nebulonem modo, modo „nugatorem appellat.“) Antiatem negavit verum prodidisse. Haud dubie Valerius, qui duos Q. Petillios tribb. pl. Africani accusatores duxit, (cf. Liv. libr. 38. c. 50.) orationem, quae Africani nomine ferebatur, non ignoravit, sed eam fictam

---

[1]) Alii alia protulerunt; Lachmannus Comment. II pg. 19: „*Ceterum*, inquit, *quae de nobili transfuga trucidato ex oratione in Flamininum habita a Livio afferuntur*, *ea a Catone exaggerandi causa in accusatione dicta nec ab omni parte vera esse*, *observavit Plutarchus in Flamin.* c. 18., *ubi subtiliore in hac re*, *quam Livius*, *iudicio usus est*, *et ipsum Catonem contra se testem excitavit.*“ Sed primum Catonem sibi ipsum oblocutum esse Plutarchus l. c. (*ὅτι δ' οὐκ αὐτόμολος ἦν, ἀλλὰ δεσμώτης ὁ ἀναιρεθεὶς, καὶ ἐκ τῶν καταδίκων, ἄλλοι τε πολλοὶ, καὶ Κικέρων ὁ ῥήτωρ ἐν τῷ περὶ γήρως, αὐτῷ Κάτωνι τὴν διήγησιν ἀναθεὶς, εἴρηκεν.*“) nequaquam probavit nec probare voluit, et deinde non credibile est, Catonem in re tam gravi et invidiosa a vero desciscere ausum esse. Fortasse capitis damnatus ap. Valerium et nobilis transfuga ap. Catonem ne diversi quidem fuerunt, et controversia, quae est de homine trucidato, ita componenda, ut illum transfugam propter scelus aliquod a L. Flaminino in custodiam inclusum fuisse dicamus. Bolhuis. Diatrib. Litter. in M. Porcii Catonis Scr. et Fragm. pg. 135 sq., qua ratione illa Catonis oratio Ciceronem, etiamsi studiosissime percontatus esset, fugere, in Livii tamen manus incidere potuerit demonstraturus, ait: „Itaque haud improbabiliter suspicari pos- „sumus, Catonis orationem, quae magis etiam quam Valerii narratio ad Titi dedecus valeret, a gente „Flaminina, quoad fieri poterat, suppressam esse et obscuratam, ita ut ne Cicero quidem eam inve- „nire potuerit: eandem vero a Livio, haud insueto fortunae lusu, forte etiam, quia posteriori aevo „vivebat, lectam fuisse et ad historiam suam conscribendam fuisse adhibitam.“

arbitratus est, nec is solus; ante omnia igitur Livio orationem a Scipione ipso habitam et non suppositam esse evincendum fuisset. Id quod minime fecit; nec tamen cunctatus est, (nempe is scriptor annalium, quem tum maxime ante oculos habebat, P. Africanum a M. Naevio trib. pl. accusatum et illam orationem germanam putavit) Antiatem, licet is ne commemorasse quidem Naevium videatur, erroris arguere. Conferantur praeterea, quae Lachmannus Comment. II. pg. 107. contra Livium disseruit.

His duobus Livii locis, quibus quod testimonia neglexerit Valerius vituperatur, subiungere libet fragmentum ap. Gell. libr. 7. c. 19., ubi de causa L. Scipionis ex Antiatis annalibus plura afferuntur. Gellius h. l. Antiatem contra decretorum quorundam memoriam contraque auctoritates veterum annalium narrasse ait, post Africani mortem a Ti. Graccho intercessionem pro Scipione Asiatico factam esse: „neque multam irrogatam Scipioni; sed damnatum eum pecu„latus ob Antiochenam pecuniam, quia praedes non daret, in carcerem duci coe„ptum, atque ita intercedente Graccho exemtum.“ Valerium secutus est Livius libr. 38. c. 60., et apparet, quum ea quoque, quae ante Livius prodidit, ex annalibus illius sumpta esse veri simillimum sit, Antiatem auctorem fuisse, Ti. Gracchum bis intercessisse, et pro Africano et pro L. Scipione. Difficillimum est de re, in qua ob opiniones quam maxime discrepantes iam Livius verum invenire se posse desperavit, (cf. libr. 38. c. 56.) iudicare; ausus tamen est Lachmannus Comment. II. pg. 106 sq., nec, ut mihi quidem videtur, vano conatu disputavit [1]). Id unum modo non concedo, Antiatem sua finxisse; statuere hoc vetamur, quod Livius causas Africani et Asiatici pariter, atque ille, exposuit, quamquam diversarum narrationum notitiam habuerat; id quod, ut pluribus exemplis docemur, non fecisset, si praeter illum auctor nemo fuisset; cupidissime potius occasionem arripuisset reprehendendi.

Negligentia, de qua Livius libr. 45. c. 40. Antiatem accusat, mea quidem sententia tam parvi momenti est, ut sine mora ad alterum reprehensionum genus transire possimus, ad locos, quibus, quod numeros omnium fere rerum immodice auxerit, Valerio obiicitur. Et sane haud raro, ubi ex annalibus huius scriptoris, quot caesi fuerint aut quanta praeda in victorum manus venerit, memoratur, multitudo et copia maior est, quam ut revera eam tantam fuisse existimare liceat.

---

[1]) Heerwageni libellus „De P. et L. Scipionum accusatione quaestio. Baireuth. 1836.“ mihi, quum haec scribebam, non praesto fuit.

Testimonia sunt loci, quos supra ex Livio protuli. At primum suspicandum est, nonnunquam Livium cf. libr. 38. c. 55. (Lachm. Comment. II. pg. 82.) corruptis in annalium Valerii codice, quo utebatur, numeris deceptum esse [1]); deinde quaerendum, num Antias solus hac in re modum excesserit, an pariter alii eodem nomine vituperandi sint, et num ille numeros suos ementitus sit, an aliunde deprompserit. Atqui Claudium Quadrigarium numeros interdum vel maiores, quam Valerium, exhibuisse, Livius libr. 38. c. 23. et Orosius libr. V. c. 3. testes sunt; et Coelius Antipater, certus Romanae historiae auctor a Valerio Maximo libr. I. c. 7, 6. vocatus, neque, ut videtur, iniuria, non exacto quidem numero, quot milites ex Sicilia in Africam a P. Scipione transportati essent, edidit, at tamen vim eorum, poetarum more dixerim, mirum quantum exaggeravit. Legimus enim ap. Liv. libr. 29. c. 25: „Coelius, ut abstinet numero, ita ad im„mensum multitudinis speciem auget. Volucres ad terram delapsas clamore militum „ait, tantamque multitudinem conscendisse naves, ut nemo mortalium, aut in Italia, „aut in Sicilia relinqui videretur." Nec Claudius Quadrigarius Coeliusque soli citari possunt; imo fere omnes Romanorum scriptores, qui res populi sui litteris mandaverunt, saepissime quum de factis, tum praecipue de hostium caesorum numero praedaeque partae magnitudine suspectae sunt fidei. Monendum tamen, minus id dictum esse in vetustissimos annalium auctores, quam in eos, quos Gracchorum aetas et tempora sequentia tulerunt, nec causae latent, ob quas hi maxime illud vitium in se admiserint. Satis enim constat, apud Romanos unamquamque fere familiam nobiliorem suos habuisse libros commentarios, quibus stemma et quos magistratus singuli obtinuissent ac quae domi militiaeque gessissent, consignata erant; hi autem libri commentarii sicut omnia monumenta privatim servata, dum „familia ad se quaeque famam rerum gestarum honorumque fallente mendacio" (Liv. libr. 8. c. 40.) trahebat, corruptionibus omnis generis quam maxime subiecti fuerunt. Multo etiam mendosiores et vel minore fide dignae laudationes illae funebres habendae sunt, in quibus multa, quae facta non essent, scripta fuisse veteres aperte testantur. cf. Ellendt. ad Cic. Brut. c. 16. §. 62. Iam vero quum, qui res Romanas scribere aggressurus erat, non modo ea reddere vellet, quae vetustiores narraverant, sed potius plura, nova, meliora: illi commentarii laudationesque mortuorum fontes uberrimi facti sunt ad historiam et amplificandam et depravandam. Conferantur, quae Niebuhr. Hist. R. T. II. pg. 8 sqq.

[1]) Id dictum imprimis volo de numeris tormentorum captorum ap. Liv. libr. 26. c. 49.

ed. alt. et Wachsmuth. Hist. R. pg. 14 sqq. disputaverunt. Quid, quaeso, impedit, quominus Antiatem quoque sua ex his fontibus hausisse statuamus?

Similiter sentiendum est de eo, quod postremum Antiati vitio datur, ita ut paucis, ne dicam obiecta prorsus diluere, at indicare possimus, unde res novae illae [1]) fluxerint. Maximam partem iidem fontes fuerunt; potest tamen interdum etiam factum esse, ut, quae fama tantum circumferebantur, Valerius annalibus suis insereret. Alii pariter, quae fando audierant, non neglexerunt. Nec omnia, quae ut nova ac ficta a Livio afferuntur, ille primus ita narravit; sic libros Numae Pythagoricos fuisse (cf. Liv. libr. 40. c. 29.) iam L. Piso et Cassius Hemina tradiderant, cf. Plin. N. H. libr. XIII. s. 27., et suspicio subest, Livium, dummodo accuratius diligentiusque vetustiorum annales pervolutasset, multa alia reperire potuisse. Sed ne gratum quidem ei fuisse censeo, si pauciora habuisset, quae increparet; nam, ut libere loquar, quod sentio, Livius summo studio id egisse mihi videtur, ut Valerii auctoritatem imminueret. Quid enim? nonne ex aliorum etiam annalibus permulta prodit singularia? cur hos mendaces non vocat, quum, ubi apud Antiatem novi aliquid invenit, id mendacium haberi velit? At, fortasse aliquis dixerit, Valerius plura et graviora, quam ceteri, novavit. Id minime verum; alii aeque, atque ille, ut de dissensionibus taceam, quales sunt ap. Liv. libr. 28. c. 46. libr. 30. c. 3. libr. 42. c. 11. alibi, pugnas victoriasque, ceteris scriptoribus ignotas, receperunt. Evolve libros, quibus annalium fragmenta continentur, et intelliges, non pauciora eiusdem generis ex aliis potuisse memorari. Eandem porro malevolentiam loci denudant libr. 30. c. 3: „Haec per nuncios „magis equidem acta crediderim, (et ita pars maior auctores sunt) quam ipsum „Syphacem, ut Antias Valerius prodit, etc.“ et libr. 42. c. 11: „Attalum, re„gis Eumenis fratrem, legatum venisse Romam, Valerius Antias his consulibus „scribit, ad deferenda de Perseo crimina, indicandosque adparatus belli. Plurium „annales, et quibus credidisse malis, ipsum Eumenem venisse tradunt.“; quamquam enim alii cum Valerio consenserunt, tamen Livius eius solius nomen apposuit. Denique quid de Livio iudicemus, qui libr. III. c. 8. et c. 31., quum paulo ante cap. 5. Valerio exprobrasset, quod in antiqua re summas eorum, qui cecidissent, concipere ausus esset, certos caesorum numeros ipse non aspernatus est. Iusto asperior igitur iniquiorque iudex fuit, neque aliam scio causam, quae

[1]) Plures satis magnam verisimilitudinis speciem prae se ferunt. V. quae infra hac de re disseram.

bilem ei tam vehementer commoverit, quam quod claritudini invidit et auctoritati, qua Valerii annales haud dubie ob ubertatem suam et, quod accuratissimi habebantur, floruerunt. Perinvitus animi huius illiberalis Livium insimulavi, at id facere coactus sum neque timeo, ne iniuriam ei imposuerim.

Antiatem ergo, etsi non liber fuit a studio nova narrandi et interdum numeros vero maiores exhibuit, tamen his nominibus prae aliis accusare non licet. Sed haec mittamus; iam supra monui, Valerii opus copiosissimum fuisse atque uberrimum. Nec tantum ex librorum, in quos annales divisi erant, multitudine id patet, idem compluribus fragmentis, in quibus res levissimae insunt, cf. Gell. libr. VI. c. 7., Plin. N. H. libr. 34. s. 8., Arnob. adv. G. libr. V. c. 1., Liv. libr. 37. c. 48., Priscian. libr. IX. c. 10. docemur. Epistolas autem annalibus inclusas fuisse, certe ex Gell. libr. III c. 8., ad quem locum Krausius pg. 249. nos delegat, non cognoscimus. Maxime tamen lectoribus suis diligentia quadam et subtilitate Antias se commendare studuit. Inde factum est, ut omnium fere rerum singularum numeros exponeret cf. Liv. libr. 3. c. 5. libr. 32. c. 6. libr. 33. c. 10. et c. 36. libr. 36. c. 19. et c. 38. libr. 38. c. 55. libr. 45. c. 40. al.; tum eidem studio tribuendum esse existimo, quod originem sacrorum, Larentinalium cf. Gell. libr. VI. c. 7. et Agonalium cf. Macrob. Saturn. libr. I. c. 4. explicuit atque, a quo primo et cur intercalatum esset cf. Macrob. Saturn. libr. I. c. 13., sicuti qua ratione Numa fulminis procurandi scientiam sibi parasset cf. Arnob. adv. G. libr. V. c. 1.[1]), tradidit; huc denique pertinet, quod ap. Dionys. Hal. libr. II. c. 13. de Celerum nomine, (ex Serv. ad Virg. Aen. libr. XI. v. 603. Valerium etiam auctorem fuisse collegerim, Remum occisum a Celere et hunc „in eius gratiae vicem tribunum „equitum a Romulo factum“ esse. cf. Dionys. libr. I. c. 87.) et ap. Plin. N. H. libr. 13. s. 27. de lingua invenimus, qua Numae libri scripti fuissent[2]). Proxime autem ad hoc studium appetitus ille probabilia proferendi accedit. Iam supra eum tetigimus, et eo haud dubie Valerius permotus est, ut non triginta unam, sed quingentas viginti septem virgines Sabinas raptas diceret cf. Plut. Rom. c. 13. Hoc loco porro memorandum, quod est ap. Liv. libr. 39. c. 35. Nec pauca ex iis, quae Valerius primus narrasse fertur, satis magnam habent verisimilitudinem. His inprimis adnumero fragmentum ap. Liv. libr. 37. c. 60. Ex Fastis enim Triumphal. et ex Livio ipso libr. 38. c. 47. discimus, Q. Fa-

---

[1]) Cum Valerii narratione ad verbum paene conveniunt versus Ovidii Fast. libr. III. v. 339 sqq.; Antias fortasse Pisonem cf. Plin. N. H. libr. 11. s. 54. secutus est.

[2]) Hoc Valerii testimonium Dirksen. Civilist. Abhandl. I. S. 35. nimis elevavit.

bium Labeonem triumphasse; vix autem triumphus decretus ei fuisset, si praeter Cortynios nulla Cretensium civitas captivos Romanos atque Italici generis reddidisset. Deinde vera arbitror, quae ap. Liv. libr. 28. c. 46. et libr. 36. c. 36. (cf. Lachm. Comment. I. pg. 67.) leguntur. Tum quos Antias et Q. Tubero cf. Liv. libr. 4. c. 23. consules (a. 321.) vocarunt, ii vere tribuni militum fuerunt, atque M. Manlio et Q. Sulpicio tertius adiungendus Ser. Cornelius Cossus; multo magis tamen Licinius Macer, quem Livius secutus est, erravit. Non recte Lachmannus Comment. I. pg. 60. Licinii consules defendit, censens, illum annum et consules et tribunos militum habuisse. cf. Niebuhr. H. R. T. II. pag. 440. adn. 856. ed. alt. Eodem anno, quo Antias, (a. 571. cf. Liv. libr. 39. c. 56.) Atticus, cf. Corn. Nep. Hann. c. ult., scriptor in rebus eiusmodi fide dignissimus, Hannibalem mortuum esse prodidit. Nec, quum Illyrii piraticam facerent, nimis aucta mihi videtur praeda, quam de eo populo Gentioque rege a Romanis partam Valerius cf. Liv. libr. 45. c. 43. scripserat. Iniuria porro Niebuhr. H. R. T. I. pg. 525. ed. alt. tam vehementer in Antiatem invehitur, narrantem, L. Tarquinium Priscum ex praeda Apiolarum, oppidi Latinorum, Capitolium inchoavisse. Confer Dionys. libr. I. c. 49. libr III. c. 69. libr. IV. c. 59., Liv. libr. I. c. 35. et c. 38. extr. [1]), Wachsmuth. H. R. pg. 176. De nomine, quod Servii Tullii uxori ap. Plut. D. Fort. Roman. c. 10. datur, cf. Niebuhr. H. R. T. I. pg. 376. adn. 838. ed. alt. Saepius Valerii narrationem, nomine non apposito, Livius reddidit, cf. Ascon. in Cornelian. P. II. pg. 69. ed. Orell. cum Liv. libr. 34. c. 44., Censorin. d. d. n. c. 17. (Oros. libr. V. c. 16. cum Liv. Epit. libr. 67.) Cum Coelio Valerius consentit ap. Liv. libr. 29. c. 35.

Qua ratione annos computandi Antias usus sit, neque ex Censorino d. d. n. c. 17., neque ex ullo alio loco efficitur, pariterque nos nihil scire respondendum est quaerenti, ecquem vetustiorum, qui annales confecerunt, Valerius prae caeteris secutus sit. Inde enim, quod non semel cum Pisone concinit, quum alibi quam maxime ab eo discrepet, nihil potest concludi. Perpauca etiam fragmenta, quibus verba ipsa Valerii reddantur, nobis servata sunt, ita ut ne genus quidem scribendi cognoscamus. Exstant autem illa fragmenta apud Charis. libr. II. pg. 186. ed. Putsch., Priscian. libr. VII. c. 13. extr. pg. 339.

---

[1]) Livium dicentem c. 55: „Itaque Pometinae manubiae, quae perducendo ad culmen operi destinatae erant, vix in fundamenta suppeditavere.“ non obloqui iis, quae c. 38. narravit, apparet ex Dionys. Hal. libr. III. c. 69.

ed. Kr. et libr. IX. c. 10. pg. 468. ed. Kr., Gell. libr. I. c. 7. libr. V. c. 21. libr. VII. c. 9., reperimusque ibi „spepondi", „peposci", „descendidi", „pluria", „novissime", „senatusconsultum prior", „omnia — processurum esse." Cicero, quamquam pluribus locis, qualis historicorum sermo fuerit, demonstrat, tamen nusquam Valerii meminit; id quod Krausio pg. 267. indicium est, hunc nec oratione sua excelluisse, nec inusitata ac prava dicendi ratione usum esse.

Postremo ad quod usque tempus annales Valerii integri pervenerint, si quaeras, idem, quod iam alibi de Pisonianis edixi, repetendum erit; Liviani operis nobilitate effectum est, ut omnes illi annalium auctores mox in oblivionem venirent, ideoque Antiatis historiam post Gellii aetatem perdiu superfuisse negaverim.

Schulnachrichten.

Allgemeine Lehrverfassung für das Schuljahr von Ostern 1839 bis Ostern 1840.

I. Prima.

Ordinarius Rector Dr. Förtsch.

1. *Sprachen.*

1) *Lateinische Sprache:* Im *Sommer* und *Winter* Cicer. Brutus in 3 Stunden, Horat. Od. lib. III, 16—Ende, lib. IV. und carmen saeculare in 2 St., Correctur der lateinischen Arbeiten, Extemporalia, Disputirübungen 3 Stunden der Rector. (Privatim wurde unter dessen Anleitung von den Primanern Horat. Satir. I, 5—10, lib. II, 1—8. Od. lib. I. und II, 1—10., die ars poetica und Cicer. Verrin. Act. II. lib. IV., c. 1—32. gelesen.)

2) *Griechische Sprache:* Im *S.* und *W.* Homer's Il. lib. I. und II. 2 St., Sophocl. Electra 1 St. der Rector. Im *S.* Herodot. lib. I. und einige Capitel des 2. Buchs, im *W.* Plato's Alcibiad. I. 3 St. Conrector Müller. (Privatim wurde unter Anleitung des Rectors aus der Iliade lib. 23. und 24. und darauf lib. 3—12. (incl.) gelesen.)

3) *Hebraeische Sprache:* Im *S.* und *W.* Erklärung ausgewählter Stellen aus Gesenius' Lesebuche nebst Uebungen im Uebersetzen aus dem Deutschen in das Hebräische (nach Schröder) 2 St. Conrector M. Schmidt.

4) *Deutsche Sprache*: Correctur der deutschen Aufsätze, mündliche Redübungen, die 4. und 5. Periode der deutschen Litteraturgeschichte nach Koberstein; daneben im *S.* allgemeine Grammatik, im *W.* die Lehre vom poetischen Rhythmus und den Eigenthümlichkeiten des poetischen Stils 2 St. Subrector Dr. Liebaldt.

5) *Französische Sprache:* Im *S.* und *W.* wurden in dem Handbuche der französischen Sprache von Ideler und Nolte die Abschnitte aus Voltaire, Friedrich II. und Mably gelesen und Uebungen im Uebersetzen aus dem Deutschen in das Französische damit verbunden, 2 St. Lector Goller.

2. *Wissenschaften.*

1) *Religion:* Die Lehre von Gott und dem Verhältnisse Gottes zur Welt nach eigenen Dictaten 2 St. Domprediger Heizer.

2) *Geschichte:* Im *S.* Rom's Kaisergeschichte beendigt und Geschichte des Mittelalters bis zu den Kreuzzügen, im *W.* von den Kreuzzügen bis 1600 (nach Ellendt's Lehrbuche der Geschichte) 2 St. Subrector Dr. Liebaldt.

3) *Mathematik:* Im *S.* (nach I. H. T. Müller's Lehrbuche der allgemeinen Arithmetik) Algebra, im *W.* der binomische Lehrsatz nebst Anwendung auf die Theorie der Reihen, Trigonometrie, 4 St. Mathematikus Hülsen.

4) *Physik:* Im *S.* Magnetismus und Electricität, im *W.* Optik 2 St. Mathematikus Hülsen.

5) *Philosophische Propaedeutik:* Im *S.* Logik, im *W.* allgemeine Einleitung in die Philosophie 1 St. Domprediger Heizer.

6) *Geographie* und *Naturgeschichte:* Die Schüler mufsten bestimmte Abschnitte aus Roon's Anfangsgründen der Erd-, Völker- und Staatenkunde und aus Burmeister's Grundrisse der Naturgeschichte für sich durchstudiren und wurden über das Gelesene in beliebig gewählten Stunden, in der Geographie vom Subrector Dr. Liebaldt, in der Naturgeschichte vom Mathematikus Hülsen befragt und über Einzelnes belehrt.

II. Secunda.

Ordinarius Conrector Müller.

1. *Sprachen.*

1) *Lateinische Sprache:* Virgil. Aen. lib IX—XII. und I, 1—400, zuletzt cursorisch Terent. Andria, 4 St. und Stilübungen 3 St. Conrector Müller, Cicer. Brutus 3 St. der Rector. (Versübungen 1 St. Candidat Dr. Breitenbach.)

2) *Griechische Sprache:* Lucian's Timon, Vitar. auctio, Piscator, Charon 3 St., Grammatik und Stilübungen 1 St. Conrector Müller, Homer's Il. lib. I. und II. 2 St. der Rector.

3) *Hebraeische Sprache:* Aus dem Lesebuche von Gesenius wurden einige leichtere Stücke übersetzt und analysirt, nach dessen Grammatik die Anfangsgründe bis (incl.) zu dem Verbum durchgegangen und bisweilen leichte Sätze aus dem Deutschen in das Hebräische übersetzt, 2 St. Conrector M. Schmidt.

4) *Deutsche Sprache:* Correctur deutscher Aufsätze und Grammatik 2 St. Conrector Müller.

5) *Französische Sprache:* Aus Charles XII. von Voltaire wurde die zweite Hälfte des 7., das 8. und der Anfang des 1. Buchs gelesen und damit Stilübungen verbunden, 2 St. Lector Goller.

2. *Wissenschaften.*

1) *Religion:* Wie in Prima, 2 St. Domprediger Heizer.

2) *Geschichte* und *Geographie:* Ebenfalls wie in Prima, 2 St. Subrector Dr. Liebaldt.

3) *Mathematik:* Im *S.* Gleichungen des ersten Grades und Elemente der Stereometrie, im *W.* Rechnung mit Potenzen, Wurzelgröfsen etc., Aehnlichkeit der Figuren. Wöchentlich wurden geometrische und arithmetische Aufgaben zur Einübung des Vorgetragenen bearbeitet. 4 St. Mathematikus Hülsen.

4) *Naturbeschreibung:* Allgemeine Classification des Thierreiches 1 St. Mathematikus Hülsen.

III. Tertia.

Ordinarius Conrector M. Schmidt.

1. *Sprachen.*

1) *Lateinische Sprache:* Jul. Caesar. Bell. Gall. l. VI. und ein Theil des VII. Buchs 3 St., Stilübungen 3 St., Prosodie und Versübungen 1 St. Conrector M. Schmidt, Ovid's Metamorph. lib. X, 1—218. XI, 1—220, 592—632. XII, 1—63. I, 1—252. nebst grammatischen Uebungen 3 St. der Rector.

2) *Griechische Sprache:* Griechische Grammatik und Stilübungen 2 St. Conrector M. Schmidt, Xenoph. Anab. lib. V. und VI. 3 St., das Wichtigste vom homerischen Dialecte und Lectüre von Odyss. XI, 385 bis zu Ende 1 St. Candidat Dr. Breitenbach.

3) *Deutsche Sprache:* Satzlehre, Correctur deutscher Aufsätze, Vers- und Declamirübungen, sowie Uebungen im freien mündlichen Vortrage 2 St. Dr. Matthiae.

4) *Französische Sprache:* Anfangsgründe der französischen Grammatik nebst Uebungen im Uebersetzen aus dem Französischen ins Deutsche, wie aus dem Deutschen ins Französische, 2 St. Lector Goller.

2. *Wissenschaften.*

1) *Religion:* Die christliche Pflichtenlehre nach eigenen Dictaten 2 St. Conrector M. Schmidt.

2) *Geschichte* und *Geographie:* Im *S.* und *W.* Geschichte von Deutschland (nach Böttiger's Lehrbuche); im *S.* Geographie von Deutschland, im *W.* Geographie von Asien, Afrika, Amerika und Australien (nach Roon) 3 St. Mathematikus Hülsen.

3) *Mathematik:* Im *S.* Theorie des Kreises, Rechnung mit Decimalbrüchen und Aggregaten, im *W.* von der Flächengleichheit der Figuren und Rechnung mit Quotienten, und von Zeit zu Zeit geometrische und arithmetische Uebungsaufgaben 3 St. Mathematikus Hülsen.

4) *Naturgeschichte:* Die gesammte Zoologie 2 St. Mathematikus Hülsen.

3. Im *Singen*

unterrichtete in 1 St. der Cantor Claudius sämmtliche Tertianer, die Chorschüler noch aufserdem in 3 St.

IV. Quarta.

Ordinarius Subrector Dr. Liebaldt.

1. *Sprachen.*

1) *Lateinische Sprache:* Friedemann's Chrestomathie aus Cicero p. 1—26. 3 St., ausgewählte Stellen aus Ovid's Metam. lib. V., Prosodie, Versübungen 2 St., Grammatik (Zumpt Cap. 69—83. nebst Repetition der Formenlehre) 2 St., Stilübungen 3 St. Subrector Dr. Liebaldt.

2) *Griechische Sprache:* Grammatik (nach Buttmann) von den ersten Anfangsgründen bis zu den Verb. anom. (incl.) 3 St. Subrector Dr. Liebaldt; Jacobs' griech. Lesebuch I. und II. Cursus mit Auswahl nebst Uebungen im Uebersetzen aus dem Deutschen ins Griechische 3 St. Candidat Dr. Breitenbach.

3) *Deutsche Sprache:* Correctur deutscher Aufsätze nebst Uebungen im Declamiren und freien Nacherzählen 2 St. Subrector Dr. Liebaldt.

2. *Wissenschhaften.*

1) *Religion:* Biblische Geschichte des neuen Testaments, Uebersicht über die Geographie und Geschichte Palästina's, Wiederholung der Hauptstücke und Auswendiglernen von biblischen Sprüchen 2 St. Subrector Dr. Liebaldt.

2) *Geschichte und Geographie:* Geschichte Griechenlands und der nicht classischen Völker des Alterthums (nach Böttiger); in der Geographie die zweite Lehrstufe in Roon's Lehrbuche, 2 St. Mathematikus Hülsen.

3) *Mathematik:* Im *S.* Von den Summen, Unterschieden und Producten, im *W.* Planimetrie bis zur Congruenz der Dreiecke (incl.). Von Zeit zu Zeit wurden Aufgaben bearbeitet. 3 St. Mathematikus Hülsen.

4) *Naturbeschreibung:* Wie in Tertia, 2 St. Mathematikus Hülsen.

3. *Kalligraphie, Zeichnen und Singen.*

In der *Kalligraphie* unterrichtete C. Hetzer wöchentlich 1 St., sowie im *Zeichnen* 2 St.

Im *Singen* gab der Cantor Claudius allen Quartanern 1 St. Unterricht. Die Chorschüler hatten noch aufserdem 3 Singestunden.

V. Quinta.

Ordinarius Dr. Matthiae.

1. *Sprachen.*

1) *Lateinische Sprache:* Grammatik (nach O. Schulz) 3 St., Jacobs' und Döring's lat. Lesebuch 1. Cursus 3 St., Stilübungen 3 St., Abhören und Einüben der nach Wiggert's Vocabularium gelernten Wörter 1 St. Dr. Matthiae.

2) *Deutsche Sprache:* Correctur deutscher Aufsätze, Uebungen im Lesen, freien Erzählen und Declamiren, Einübung der Orthographie und Interpunction 4 St. Dr. Matthiae.

2. *Wissenschaften.*

1) *Religion:* Wie in Quarta, 2 St. Subrector Dr. Liebaldt.

2) *Geschichte und Geographie:* Im *S.* das Wichtigste aus der Geschichte des griechischen und römischen Alterthums, im W. aus der Geschichte des Mittelalters und der neueren Zeit (nach Böttiger). Daneben im *S.* und *W.* die erste Lehrstufe in Roon's Lehrbuche der Geographie 3 St. Candidat Dr. Breitenbach.

3) *Rechnen:* Die 4 Species, die gemeinen Brüche und die Decimalbrüche, sowie die Regeldetri 4 St. Dr. Mathiae.

4) *Naturbeschreibung:* Die Säugethiere und zum Theil die Vögel 2 St. Conrector Müller.

Kalligraphie, Zeichnen und Singen.

Kalligraphie 3 St. Dr. Matthiae.
Zeichnen 2 St. C. Hetzer.
Singen, wie in Quarta, Cantor Claudius.

Verzeichniſs der in dem Schuljahre von Ostern 1839 bis Ostern 1840 aufgegebenen Themata zu freien Ausarbeitungen.

I) Prima.

A) Im *Lateinischen.* 1) De ingenio et moribus Julii Caesaris (mit Rücksicht auf einen Aufsatz in Hiecke's Lesebuche p. 92.) 2) De ingenio et moribus Alcibiadis. 3) Comparatio belli Punici primi cum bello Peloponnesiaco. 4) Quibus rebus maxime accelerata sit imperii Romani occidentalis ruina. 5) Quae res civitatibus certissimum afferant exitium (mit Rücksicht auf eine vorgelesene und durchgegangene Rede von L. F. Schmidt.) 6) De egregia arte, qua primus Iliadis liber est compositus (mit Rücksicht auf einige in Hiecke's Lesebuche mitgetheilte Stellen aus Lessing). 7) Paraphrasis Horat. Epist. I, 2. 8) Paraphrasis Horat. Epist. I, 6. 9) Cur eloquentia apud Romanos tantopere floruerit. 10) Horatius egregius magister morum. Auſserdem wurden zu Arbeiten während der Hundstagsferien folgende Themata, bei denen die Wahl frei stand, aufgegeben: a) Exponatur Ciceronis de amicitia sententia. b) De mendacii necessitate. c) Hannibal cur post victoriam Cannensem Romam expugnare non ausus sit. (Der Rector.)

B) Im *Deutschen.* 1) Woher kommt es, daſs in Freistaaten die Verdienste groſser Männer so häufig mit Undank belohnt werden? 2) Der geistige und moralische Ruin eines

Reiches ist der gewisse Vorbote des politischen. 3) Poëtische Arbeit: die Eroberung Numantia's durch die Römer. 4) Woher kommt es, dafs das menschliche Herz sich der Dankbarkeit wegen empfangener Wohlthaten in reiferen Jahren leichter öffnet? 5) Disposition der Themata „Eine Sünde erzeugt die andere; Thätigkeit macht Leiden erträglich; Ist es wahr, dafs in Staaten von mäfsigem Umfange mehr Patriotismus herrscht, als in grofsen?; über den Ausspruch Cicero's de senect. c. 10. „*Wer lange alt sein will, mufs früh anfangen, es zu werden.*" 6) Disposition der Themata: „Ist der Ausspruch des Persius richtig: „Der Gottlosen bitterster Fluch ist der, dafs sie die Tugend erkennen, aber unfähig sind, sie zu erlangen?", Gewohnheit stumpft uns gewissermafsen gegen jeden Unfall, jede Gefahr ab, die uns stündlich erreichen kann; Unglück lehrt Mitleiden, Leiden lehrt Liebe; über die Worte in Göthe's Torquato Tasso: *der Mensch ist nicht geboren frei zu sein, und für den Edlen ist kein schön'res Glück, als einem Fürsten, den er ehrt, zu dienen.* 7) Angabe des Gedankengangs in Klopstocks Ode „*Der Eislauf*". 8) Ueber den Werth des Lateinschreibens. 9) Mit welchem Rechte wird den beiden klassischen Sprachen als Bildungsmittel eine so hohe Stelle im Gymnasialunterrichte angewiesen? (Subrector Dr. Liebaldt.)

II) Secunda.

A) Im *Lateinischen.* 1) Exponatur argumentum Timonis Lucianei et doceatur quo consilio auctor hunc dialogum conscripserit. 2) Argumentum orationis pro Archia poeta. Ebenso liefs Herr Conrector Müller als lateinische Arbeiten auch von andern Schriften, die in der Classe gelesen wurden, Inhaltsangaben anfertigen.

B) Im *Deutschen.* 1) Wefshalb ist unsere Theilnahme an Anderer Leiden lebhafter, als an Anderer Freuden? 2) Was haben wir zu thun, um fehlerhafte Neigungen in uns zu bekämpfen und zu besiegen? 3) Das Lob der Armuth. 4) Die Gefahren des Reichthums. (Diese beiden Aufgaben wurden durch die Lectüre von Lucians Timon veranlafst.) 5) Wer an keine Tugend glaubt, besitzt selbst keine Tugend. 6) Die Entdeckung von Amerika. Kurze Erzählung und Entwicklung ihrer günstigen und nachtheiligen Folgen. 7) Betrachtungen beim Antritte eines neuen Jahrzehents (Weihnachtsferien 1839). 8) Die Vortheile der Einsamkeit. 9) Das Lob der Geselligkeit. (Conrector Müller.)

III) Tertia.

